



(22)

*Latitudo Curiae ...*

*Q. D. B. V.*

**L A T I T U D O,  
L O N G I T U D O E T S I G N U M  
U R B I S C U R I Æ,**

*cui subesse vulgò creditur,*

**Diascepsi Mathematicà excusà;**

**TRIUMPHO ORATORIO,**

*ob receptam nuper*

**B V D A M,**

**In Illustri Gymnasio Curiano,**

**ab horâ VIII, D. XXIX. Octobris, A, clc lcc LXXXVI,**  
*instituendo.*

*Invitationis loco premissa,*

**M. Jo. CHRISTOPHORO Leyriz / Gymn. Patrii**  
**Con - Rectore.**

*Literis Minzelianis.*

*... dicitur hic nobis faceret negotium ...*





Lectori Cordato ac *συνχαίροντι* Salutem & Officia!

**M**athematicum est, quod ordo continuandæ nunc Historiæ Patriæ suscipere nos jubet negotium; ita tamen comparatum, ut indubiæ ipsi per omnia *ἀποδείξεως* gloriam nequiquam tribuere audeamus; sed potius ultimam ejus partem merè *στοχαστικὴν*, imò & viliori nomine censendam, ipsi in limine ultrò fateamur. Quamquam enim ea divinæ Matheseos sit natura, ut, vel ipso Philosopho teste, *1. Part. Anal. 1.* Demonstrationes ac Principia ejus sint *κυρίως καὶ ἀπλῶς ἐξ ἀνάγκης*, primò & absolutè dictæ Demonstrationes necessarioq; concludentes, quâ ratione quoque hæ Scientiæ Speculativæ Practicis & Naturalibus, quarum Demonstrationes Aristoteles *secundæ solum mensuræ* vocat, *6. Met. c. 2.* palmam certitudinis præripiunt; Non tamen omnes ejus Disciplinæ unius ejusdemque sunt commatis & dignitatis, sed aliæ multis ab illarum, quæ *ἀπλὰ μαθηµάτα* denuò Stagyritæ audiunt, *6. Met. c. 1.* præeminentia relictæ parasangis, neque tantam evidentiam, neque infallibilitatis per omnia venantur aut assequuntur famam. Scilicet, ut non rarò ingenuæ pariter & castissimæ matris vitiantur filiæ; & ut nec ipsum purissimum aurum ita ab omnis impuritatis admixtione est præmunium, quod non quandoque adulterantium experiatur manus; sic pariter quid Mathesi evenisse, ipsi venerabiliores ejus conqueruntur Epoptæ, dum tantum quidem frivolarum conjecturarum, anilium etiam quandoq; persuasionum & deliramentorum, incomparabili aliàs irrepsit Philosophiæ, ut æquè ab iis in Puram & Impuram, (Mixtam hanc vocant, qui modestius loquuntur,) dividi rectè posse credam, ac si quis cum Philosophis, à materiæ seu abstractione, seu concretione; vel modo etiam contemplationis, qui secundum Aristotelem *ἐπὶ ἀμφοτέρωθεν*, anceps aut mixtus est, *2. Phys. c. 2.* dixerit divisam. Utraque hic nobis facescet negotium, dum in *Latitudinem, Longitudinem & Signum Urbis Curie* inquirere animus est. Ut enim illæ Principiis Arithmetico-Geometricis aut imbutantur, aut utuntur solidissimis, sic posterius hoc, humani cerebelli



belli fecunditate ortum, vix ac ne vix quidem tuebitur locum.

Et *Latitudinem* quidem ejus quod attinet, paucis praeponendum, quid per eam intelligamus: Nimirum non dimensionem aut extensionem ipsius superficiei aut figuræ Urbis, quæ quidem alias propriè longæ latæque dicuntur; sed distantiam ejus, instar puncti conceptæ, ab *Æquatore*. Totus etenim hic globus Terrenus, quæquam pro ratione globi neque longus neque latus sit, à motu tamen sive sui ipsius, sive cœli, ab Oriente, per Occidentem, ad Orientem redeundo, qui ipsius *Æquinoctialis* est ductus, longus censetur, plagâ in transversam sitâ *Latitudinis* nomen merente. idem igitur *Latitudinem* loci inquirere est, ac distantiam metiri lineæ vel arcus, à dato loco ad *Æquatorem* perpendiculariter ducti, cujus arcus integer circulus *Meridianus* loci dici solet. Jam eò nostrum se resolvit quæsitum: Quot nempe gradus & minuta, communis enim hi circulum & arcuum sunt mensura, Urbs Curia versus Plagam Septentrionalem distet ab ipso *Æquatore*? seu, quod per convenientiam *Latitudinis* loci, & *Elevationis Poli* supra *Horizontem*, idem est: Quot gradibus *Polus* supra *Horizontem* Urbis nostræ sit elevatus? cujus *Theorematis* feraci admodum matrice alia elegantissima scita quàm plurima enasci solent. Non autem sola hic niti nos decet eorum auctoritate, qui *Tabulas Longitudinum & Latitudinum* libellis suis junxere *Sphæricis*, aut *Tabulis Astronomicis*, quamquam rari admodum sint, qui Urbis nostræ rationem sibi habendam operæ duxerint pretium, ac præter nostrum *BLEBELIUM*, Petrum item *APIANUM*, *Cosmographum & Astronomum* excellentissimum, quò ipse *Carolus V.* ita delectat, ut *Equestri* quoque augetet *Dignitate*, vid. *Thuanum*, in *proxiori ejus elogio*, ad annum isti *emortualem* 1552. L. XI. & *STEPHLERUM*, qui tamen cum priori citatus saltem nobis inventus, vix alius fortè compareat. Ipsam itaque manum admoveamus *Operi*, & quæ *B. WIDEMANNI* nostri solertia fuit in præcundo, nostram ea stimulet in sequendo.



Scilicet recenset laudatus Chronographus, *Peeram Apianum* in Cosmographia suâ Latitudinem loci, seu Elevationem Poli Curiani annotasse 50. Gr. 20. Min. Se tamen ex observatione umbræ Meridianæ, die Æquinoctii habitâ, ope artificiosæ Supputationis Trigonometricæ deprehendisse: 15 minutis augendam esse Elevationem, quod Quadrans idem ostendat Astronomicus. Hinc calculum subjicit ita dispositum, ut Gnomone 60 partium supposito, proportionem umbræ observatæ tredecim sexagesimas superpartientem fuisse tradat, quod est 73 ad 60; jam utrorumq; numerorum Quadratis confectis, & invicem additis, per Prop. 47, I. Euclidis, Quadratum elicit Hypothensæ, & quidem millesimis auctæ: 8929000000. & per extractionem Radicis Quadratæ, ipsam Hypothensam Trianguli Rectanguli, 94493. cujus Cathetus est Gnomon, Basis Umbra. Porro, data Hypothensa & crure altero, invenit angulum acutum, Basi adjacentem, 39.25. qui respondet Elevationi Æquatoris, cujus complementum ad Quadrantem 50.35. est Latitudo loci, seu Elevatio Poli. Q.E.Q. His ita provenientibus 50, 35. demit quoque partem proportionalem, angulo ad Basin subtrahendo de jure addendam, 2, ut adeo pro correctâ Latitudine exsurgât 50, 34, 58. Nec video facilè, quid huic desit operationi, nisi quod Semi-Diametrum Solis, ut infra monebimus, unâ subtrahendum non demserit, quod tamen in observatione statim factitatū credam, aliàs ejus Latitudo cū Apiana exactè coincideret.

Et hæctenus noster nos duxit *Widemannus*, ea quidem regulâ, quæ filo Ariadneo quovis tutior, modò Observationis non fallat fides. Adjungemus tamen, quæ & nostra hac in re indagaverit opera, qui pariter Gnomone seu stilo, methodo omnium ferè, quibus poli Elevatio deprehenditur, planissimâ & min⁹ erroneâ, fuimus usi, Quadrantū tamen simul ope, Stabilis & Penduli, adjuti. Nempe cum ipsius Diei Æquinoctialis frustrati fuerimus repetitâ expectatione,

quod



quod nubes solare subtraherent jubar, visum est diem Solstitialem hujus anni consulere, qui, cum sudò admodum cum aliquot antecedaneis & subsequenteribus appelleret cœlo, non tantum illorum, sed cum primis maximam Solis altitudinem d. 11. Jun. hor. 12. satis accuratè observare permisit. Divisus erat stilus, perpendiculariter lineæ Meridianæ impositus, in 1000. partes, quarum 506. umbra præscindebat, hæc itaque Trianguli rectanguli Solutio Trigonometrica secuta:

Ut ad  $\frac{\text{Basin}}{\text{Umbra}}$   $\frac{\text{Perpendicularum}}{\text{Gnomon}}$  :: Sin9. Tot. ad Tang. ang. cr. alt. opp.  
 506      1000      100000000?

Facta, ut in Regula De Tri moris est, multiplicatione & divisione, resultat Tangens 19762845. cui è fecundo Canone respondent 63. 9. & si partem Proportionalem addas 30. Vel, si per Logarithmos paulò accuratius experiri velis, hoc modo:

Ut Log. Bas. ad Log. Perpend. :: Log. Sin. Tot. ad Log. Tang.

506      1000  
 2. 7041505. - 3. 0000000. - 10. 100000000.

10. 00000000

13. 00000000

2. 7041505

10. 2958495 respondent 63, 9 & 22. pro Part: Prop.

Jam ab hoc arcu subtrahatur Semi-Diameter Solis, seu 15, nam radii Solis è limbo ejus summo emanantes, & summitatem stili ferientes, umbram breviorē justò reddunt, ut Gemma Frisius docet, de Usu baculi Astronomici, & Longomontanus, Astronomiâ Danicâ, Spheric. L. II. c. 5.

Probl. 1. & remanebunt 62. 54. 22. pro correctâ Solis altitudine, quæ ipsa nunc maximâ Eclipticæ divaricatione, in qua Sol tempore Solstitii constitutus, quamque Longomontanus 23. 32. facit, est minuenda, & erunt residui 39. 22. 22. pro Elevatione Æquatoris, hu-





(30)  
jus complementum ad Quadrantem 50. 37. 38. est ipsa Latitudo  
loci, 2. 38. à Widemannianâ differens, cui tamen nostræ utraque  
experimenta, Quadrantibus instituta, propius accedunt.

Visâ sic Latitudine pari modo ad Longitudinem eliciendam  
progrediendum est; Et optarem equidem, ne mihi querelæ hic re-  
petendæ, quas de Geographorum nulla in re magis, quàm hic dis-  
sono animo cordatiores itentidem exposuere Mathematici. Cum  
enim Longitudo loci dicatur Distantia Meridiani ejus à certò ali-  
quo Meridiano, seu arcus Æquatoris aut paralleli ejus interceptus  
inter Meridianum illius loci & certum aliquem. Primum commu-  
niter appellatum, necessum omninò esset, ut unus aliquis certus &  
fixus constitueretur, qui ab universâ Geographorum turba rece-  
ptus tolleret foedam illam differentium Longitudinum configna-  
tionem, quæ libellos eorum deturpat; Verùm, hic verum si ullibi:  
*Quot capita, tot sensus.* Quem enim Ptolomæus Fortunatis alligavit  
Insulis, uno tantum gradu inde remotum, eum aliqui detecta A-  
mericâ, cum ipsa terrâ Occidentaliorem fecerunt, ductum per S.  
Nicolai, quæ una ex adjacentibus promontorio viridi Africæ est,  
Insulam *Hondius* Insulam S. Jacobi elegit, alii unam ex Flandricis  
Azoribus, *del Corvo* dictam, quâ acus Magnetica non delinare di-  
citur. Denuò alii in procurrente Brasiliæ littore eum defixerunt;  
Belgæ recentiores ad Fortunatas regressi *el Pico de Teneriffa*, altissi-  
mum totius mundi montem, in Teneriffa Insulâ primi Meridiani  
ponunt limitem; Galli auspiciis Ludovici XIII. eum observant,  
qui per partem Insulæ *de Ferro* transit, & sic porrò. Quæ insignis  
admodum discrepantia & *CURIA* nostræ turbavit circulos, ut Lon-  
gitudo ejus non una apud Autores inveniat. Supra laudatus *A-*  
*pianus* illi Meridianum 29 graduum & dimidii tribuit; *Blebelius* e-  
undem in *Oracione de Curia* allegans 26 & 30, inverso procul dubio  
typorum errore, novenarii numero; quem etiam, in *Sphæricâ suâ* re-  
sti-



(57)

stituit. *Stephlerus* tamen 32, 45 nominat, ut adeò hic prioribus haut consentiat. Quod nostras hic non periclitati fuimus vires, non aliò, ut ingenuè fatear, quàm instrumentorum factum defectu, quibus nec Eclipsium Lunarium initia & media accurate observare hæctenus datum fuit, qui quidem modus omnium habetur certissimus, nec Stellarum altitudines plagasque distinctius observare. Malumus ergò tam diu Benevolum Lectorem hujus privare notiã, quàm incerta, nec tutè satis explorata pro veris tradere, non tamen suo tempore occasione & intimationi defuturi. Nunc, qui alienis interim caligavimus oculis, ad nostra redimus, aciemque mentis in Tertium Tituli nostri promissum distringimus, Dodecatemorion quoque Urbis nostræ producturi. Verum enim verò hoc ipsum est, quod merè σοχασμὸν appellandum jure censemus, nullatenus *Widemannii* verentes auctoritatem, qui nullius in Magistri, sed in solius veritatis verba fidemque jurare, teneri nos credimus. Quamquam enim operosus admodum sit, ut temerariorum illorum Astrologorum opinionem, qui his inferioribus effectus & eventus Stellarum nutui & influxui tribuunt, ipsasque vel integris Regionibus & Urbibus Patronas Tutricesque, singulas singulis constituunt, unà tueatur, eò tamen parum nos movet, qui tantundem huic tribuimus assero, quod universis istis Judiciariorum catalogis, quibus omnes orbis Provincias certis Signis subjecerunt, hoc est, nihil; dum enim non rarò unam aliquam planè diversis & contrariantibus invicem subdunt Patronis, labile ipsi produunt figmenti sui fundamentum. Assignat autem Urbi nostræ Leonem, ea quidem de causâ, quod signò hoc, vel eclipsibus affectò, vel infelicib⁹ Planetarum adspectibus læso, Curia plerumq; ob mutuum consensum & convenientiam, variis tristium casibus fuerit afflictâ, sicq; affinitatem suã iyerit testatum. Sed quis hic è Logico-rum Scholis non reponeret: Unius rei plures posse dari causas, & fallaciam committi non causæ, ut causæ, dum astro id tribuit, quod



nostræ malitiæ & justæ Numinis Divini excandescentiæ in illam referendum acceptum. Et ponamus, vera ea esse testimonia omnia, quæ tamen si ad amussim examinarentur prescius, næ quantum decederet, cum Stellarum positus, in horas variet; experientiam tamen, quam crepat, aliã tutò oppugnabimus experientia, & quàm facillimum foret, viginti illis exemplis eventuum tristium, quos Leone patiente contigisse tradit, totidem à latere ponere alia, ubi eadem penitus constellatione Urbs nostra felicissima fuit experta omnia. Rectè ergo cum *Scaligero Exerc. 251.* censemus: *Hominum (Urbium) fortunas, casus, eventus cuncta, fatum ipsum ex astris, tanquam à suggestu polliceri, ἀθεόλογον est & ἀφιλόσοφον, non Mathesis, sed mataa.* Prolixius absurdissimum commentum hoc refutare, nec vacat, nec pagellarum capit angustia, & actum insuper ageremus, qui tot gravissimorum Theologorum & Philosophorum accuratissimorum denuò educeremus arietes, quibus ipsa interiora fundamenta fraudulentæ hujus Divinatoriæ penitus discusserunt & dejecerunt. Ex ipsis Mathematicis binos saltem nomino, ceterorum tamen hoc tempore facile antesignanos, *Exc. WEIGELIUM nostrum, & STURMIUM*, quorum hic in *Disertatione de Influentia siderum, & passim*; alter in omnibus fere *Scriptis, ubi commoda visa occasio, cum primis in Tractatu der Haupt-Bedeutung des Himmels und seiner Sterne/* vel proprio exemplo dolos detexit. Nullius ergò nisi solius Dei Directioni nostram subicimus Urbem, illiusque ob peccata metuumus animadversionem, probe gnari, non esse infortunium in Urbe, quod Dominus non faciat, cujus si obsecundemus præceptis, pietati litemus & amoris mutuo, non est, quod ab astris aut eorum positu nobis timeamus.

Sed nimios ferè nos in his nugis detinuimus, in viam itaque è diverticulo redeuntibus eos Tibi Cordate Lector hac Tabella sistimus juvenes, qui non vano astrorum influxu, sed potentissima  
 Dei



Dei manu, & fortissimo Heroicorum lacertorum motu, celeberrimam Hungariæ Metropolin B U D A M expugnatam Tibi ostendent. Dum enim universonum pectora tam effusò adhuc calent gaudiò, dum lætissimarum congratulationum, votivarum acclamationum, solennium gratiarum actionum nondum desit Pompa, & dum universonus Christianus Orbis exoptatissimum de Turcis agit Triumphum, illi quoque in tanta omnium lætitia sibi imperare non potuerunt & industriæ suæ specimen exhibitori Triumphum Rhetoricum instituerunt, sicq; partem aliquam festivi hujus plausus sibi delegerunt, iis simul applaudentes, quorum auspiciis & labore Budarecepta est. Sciunt equidem, eos esse Heroes, qui humiliter dici non volunt, quod fortiter gesserunt, cum verò id præstare pro dignitate non possint, conabuntur tamen, quasi possent, & veniam sibi dari petent, quasi deberent. Imò omninò debent, accusandum enim videretur Gymnasium nostrum, si, cum omnes loquuntur, quod Rhetores formare laborat, tacuisset. Suis itaque vocibus silentium rediment, cras B. C. D. Cathedram concensuri; Prior quidem

A D A M U S N I C O L A U S M E Y E -  
R U S, C u r i e n s i s,

Carmine Heroico Heroicos contra Turcam exponet successus, gaudium ob rem præclare gestam resuscitabit, Inviçtissimo Imperatori nostro, totique Romano Imperio, & illis cum primis Principibus, quorum ope Budarecepta, devotè gratulabitur; miseram expugnatæ Urbis faciem depinget pressius, Deo quoque laudem

F

&



(34)  
& gratiarum oblaturus Hecatombas. Hujus affectum alter

**SAMUEL HEIFFELIUS,**  
Plaviensis,

suo excipiet applausu, causas factæ expugnationis fonticas, temerariis rejectis, exponet, justamque gaudii adesse nobis materiam ostendet, & sic ad Budæ laudem deflectens incunabula, incrementa, admiranda, fata prospera & adversa, aliaque per capita recensabit, stimulum tandem Christianis moturus Principibus, ut partæ insistant victoriæ, illâque è re suâ utantur.

Hos itaque Oratores cum non tantum singularis morum probitas, probitati substracta pietas, pietatique junctus Studiorum laudabilis ardor, cum obsequendi promptitudine commendent, & Bonorum quorumvis favorem præmium sibi promereantur; sed & ipsius materiæ invitet dignitas & communis omnium affectus, **SERENISSIMI PRINCIPIS NOSTRI** Consiliorum Supremum Præsidentem, Consiliarium Intimum ac Districtus Curiani Exarchum Spectabilissimum, Illustrissimum Comitem ac Dominum **JOANNEM ALBERTUM**, Comitem de Ronov & Bie-



Bieberstein, Dominum in Oppurg, Knau,  
 Grobiz & Grünau, Dominum nostrum  
 multum Gratosissimum; nec non Viros  
 Maximè - Reverendum ac Præ - Nobilissi-  
 mum, Dominum JOSEPHUM FRIE-  
 DERICUM à WALDECK, in  
 Kulmiz & Dœbra - Stœcken &c. Pastorem  
 Primarium Curianum & Vicinarum Eccle-  
 siarum SUPERINTENDENTEM, Gymnasii  
 Inspectorem Dignissimum; cum Reve-  
 rendo plurimum Ministerio; Nobilissimos,  
 Excellentissimosque Medicos, Physicum Or-  
 dinarium & Adjunctum; Consultissimos  
 Dominos Officiales; Urbis Senatum, Pru-  
 dentissimum Spectatissimumque Gymnasii  
 itidem Patronum & Scholarchas; nec non  
 Honoratissimos Dnn. Collegas, Præ-eximios  
 ac Clarissimos Dnn. Studiosos, omnesque  
 Literarum Patronos & Fautores quosvis, eò  
 audentius, non tamen devotionis nostræ im-  
 memores, obsequiosè, officiosè & peraman-  
 ter exoramus, ut gratiosam desideratissi-  
 mamque Præsentiam dicturis benignè com-  
 modent.

Probabunt eò ipso simul animum in Christi-

F 2

ani




ani orbis commoda & gaudia pronum, no-  
strumque obsequium, gratum animum & a-  
morem magis magisque sibi devincient.

- P. P. Festo SIMONIS & JUDÆ, A. O. R.

clō lōc LXXXVI.









L A  
L O N

In Il  
ab horâ  
M. Jo.

4.  
DO,  
SIGNUM  
E,  
cusfa;  
ORIO,  
Curiano,  
clo lbc LXXXVI,  
/ Gymn. Patrii

